Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2349

Quelle:
Copyright:

omni beatitudine que ſub ſole eſt deleatur. *ſemel et iterum vobis audientibus legere cepit me ex obliquo reprehendens ut puto tamquam transgreſſorem verborum illorum.* Απολογιαν itaque ſibi texit oſtendendo, ſe nihil niſi partes interpretis adſumſiſſe, quod utique et circa ſacras Literas liceret. Petierant praeterea dictae Moniales, *ut de illis hereticis aliqua ſpecialiter* ſcriberet, *de quibus prophetat et premunit in epiſtola ad Colonienſes beata mater.* Hos porro ſic adumbrat: *Populus iſte a dyabolo ſeductus et miſſus pallida facie veniet et velud in omni ſanctitate ſe componet ac maioribus ſecularibus principibus ſe coniunget, quibus et de epiſcopis et clericis ſic dicet. Quare iſtos vobis habetis, et quare iſtos uobis patimini, qui totam terram in maculoſis ſuis iniquitatibus polluunt. Iſti enim ebrii et luxurioſi ſunt et niſi eos a vobis abiciatis tota eccleſia deſtruetur. Populus autem qui de vobis hoc dicet vilibus Cappis que alieni coloris ſunt, induitur. et recto modo tonſus incedit, atque omnibus moribus ſuis placidum et quietum hominibus ſe oſtendit. Auariciam quoque non amat, pecuniam non habet, ac in occultis ſuis tantam abſtinenciam imitatur, quod etiam vix aliquis ex eis reprehendi poterit* &c. Agat hic, qui vult, Oedipum; noſter certe Virgunculas ſuas hortatur, ut ab hoc hominum genere caveant; non enim venturum cum Antichriſto, ſed ſatis ante &c. Ineditam habeo hanc *Gebenonis* Epiſtolam, de qua ſilent Scriptores.

XVIII. *fol.* 153. *Incipit tractatus magiſtri Samuelis iſrahelite per quem probatur aduentus chriſti ſiue meſſye dudum preteritus per dicta prophetarum legis veteris que iudei accipiunt translatus de arabico in latinum per fratrem Alfonſum hyſpanum ordinis predicatorum.* Praeit epiſtola interpretis *Pariſiis* data ad Magiſtrum Ordinis ſui generalem *Hugonem de Vaucemain*, quae abeſt a multis antiquis libelli editionibus, repoſita tamen in *Bibl. PP. Lugd.* T. XVIII. p. 519. quamque ſi vidiſſet *J. Cph. Wolfius Bibl. Hebr.* T. I. p. 1099. non adhaeſiſſet uni Codici mſ. *Bononienſi* verſionem ex *Hebraeo* factam adfirmanti. Ceterum notior eſt Libellus, in tot linguas traductus, totiesque jam Sec. XV. typis excuſus, ut me parum detineat, id monere contentum, multo antiquiorem extare Verſionem germanicam ea, quam citat *Fabricius Bibl. med.* L. I. p. 71. jam enim formis *Caſp. Hochfederi Norimb.* editam habemus anno 1498. 4. Ad calcem haec nobis leguntur: *Explicit — Sub anno domini ſeu natiuitatis eius M. Et translata de arabico in latinum per fratrem Alfonſum boni hominis* (de Buen hombre) *yſpanum — Sub anno domini M° CCC° Triceſimo nono domini benedicti pape duodecimi anno ſuo quinto.* Recte omnia. Itaque non video, quomodo Viro docto *ſuprac.*